



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

297. feria 4. de Patientia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Feria 3. Domin. 18. post Pentecost. 523*

membra, interiora, & exterior opera ex usu rationis disponere. 7. Cogitationes, & affectiones secundum præscriptum virtutis moderari. 8. Nosmet ipsos discutere, & aliorum dicta, & facta ad nos non pertinentia relinquere. 9. Radices omnis perturbationis, propriam voluntatem, spiritum libertatis, & placendi desiderium evellere. 10. Zizania, qua sine damno tritici eradicari non possunt, patienter usque ad tempus messonis tolerare. 11. Bona nullo præcepto, nullave lege debitâ, pro vitando proximi scandalo ad tempus intermittere. 12. Animi tranquillitatem ex aliorum dictis & factis pendentem non habere.

MEDITATIO CCXCVII.

*Feria 4. Domin. 18. post Pentecost.*

*De Patientia.*

**A**spiciam Patientiam individuan Domini **ALII** comitem, ut ait Tertull. lib de Patient. *Vbi DEVS, ibidem & alumna eius, Patientia scilicet.* Petam eam à Domino meo discere.

*Conf. 1.* Patientia est virtus, quâ hujus seculi mala æquo animo sustinemus, sine immoderata turbatione, aut tristitia interiore, & sine admissione inhonesti, aut minus decori exterioris. Mala ejusmodi sunt, quæ-  
cunque

cunque opponuntur bonis naturæ, & gratia, quibus ita præest Patientia, ut tristitiam & mœrorem temperare debeat, ne is nos inducat ad aliquid illicitum quærendum pro depulsione malorum. Verba item, gestus, & alias actiones afflictionis indices ita regere, ut decora sint omnia, & virili animo digna.

*Conf. 2. Incitamenta. 1. Sine Patientia vitam cœlestem non assequemur, tot enim hujus exilij mala nos impetunt, ut nisi eis patientiâ resistamus, faciant nos à bono discedere, aut in malum prolabi; hinc ait Apostolus ad Hebr. 10. Patientia vobis necessaria est. 2. Patientia Dei, continuis exacerbationibus offensi, qui præstitutum semel retributionis diem patienter expectat. 3. Christi exemplum, qui mala sustinuit in corpore, & in animo calumniarum, & injuriarum alphabetum. Habitus enim est amicus. Publicanorum, ambitiosus, qui se diceret Christum Regem; blasphemus, qui se Filium Dei faceret; contrarius ceremonijs & operibus omnium Sap. 2. demoniacus, fabri filius, furiosus, gulosus, jactabundus, 50. annos nondum habes, &c. Et: Tu homo cum sis, facis tibi et ipsum Deum. Ignorans ab Herode, qui Christum spreuit; tanquam impotentem, quia signum non fecit; tanquam ignorantem, quia verbû non respondit; tanquam stolidum, qui contra accusa-*

*Feria 4. Domin. 18. post Pentecost. 525.*

accusantes, se non defendit. D. Bonavent. in  
cap. Luc. 23. *Impius, falsa in Religione do-*  
*gmata docens: inhabilis, à Nazareth potest*  
*aliquid boni esse? Intolerabilis Gerazenis, item*  
*Samaritanis, irreverens, alapâ percussus,*  
*latro, & latrone peior, posthabitus Barrabæ,*  
*latronum dux medius inter eos suspensus:*  
*malus Joann. 7. Malefactor: mendax: vah!*  
*qui destruis templum Dei obsessus à Bcelzebub:*  
*peccator, quòd cum ijs ageret: perniciosus,*  
*qui prohiberet dare tributa: phantasma à*  
*proprijs Discipulis putabatur. Matth. 24.*  
*Pseudopropheta: quis est, qui te percussit? Re-*  
*bellis Cæsari, rudis, ideo à Pharisæis, & Dia-*  
*bolo sæpius tentatus: scandalosus scandaliza-*  
*bantur in eo: seditiosus. subvertens gentem: se-*  
*ductor, servili, cæsus virgis, alapis: stolidus,*  
*stultus, veste albâ indutus: vanus, alios salvos:*  
*fecit, vini potator, violator Legis. Quid potuit:*  
*amplius facere, ut me pati doceret? Quid*  
*gravius, quàm contumelia ab inferiore.*

*Conf. 3. Actiones ejus: 1. Damna fortunæ.*  
*dolores, ægritudines, corporis imbecillita-*  
*tem, injurias, irrisiones, probra, detractiones,*  
*infamias, atque ipsam mortem sine impa-*  
*patientia nota tolerare. 2. sine murmura-*  
*tione, lamentationibus, querelis, sine immo-*  
*derata tristitia eadem ferre. 3. Ferre ea mala,*  
*quia ea culpæ nostræ commoverunt, veli*  
*pro*

526 *Feria 5. Domi. 18. post Pentecost.*

pro gloria Dei, vel imitatione Christi, cum gaudio sicut Apostoli ibant gaudentes, &c. Ferre eadem non solum a malis, sed etiam a bonis, arbitrantibus se obsequium prestare Deo, pro beneficijs retribuendis mala, volentibus nocere, in medijs hisce malis quietum filere.

MEDITATIO CCXCVIII.

*Feria 5. Domin. 18. post Pentecost.*

*De paupertate.*

**V**idebo Dominum IESVM nihil cupientem, nihil possidentem, ut Paupertatem mundo absconditam manifestaret, pauperiorem factum vulpibus, & volucris coeli. Petam Dominum meum imitari.

*Conf. 1.* Paupertas est virtus, quæ moderatur appetitum possidendi res temporales, ut solis necessarijs secundum statum faciat contentos.

*Conf. 2.* Incitamenta 1. relinquentibus sua propter Christum promittit Dominus centuplum in hac vita, ut sine solitudine necessaria habeant, & post hanc vitam regnum coelorum possideant. 2. Multis curis animam liberat, quæ perfectionem impediunt: *Voluntaria Paupertas inchoat perfectionem*, inquit D. Gregor. lib. 2. moral. c. 27. 3. Exemplum Christi, qui cum esset dives propter